

4. † R. P. Petrus Costello (1876-1940)

Petrus Costello erat filius nostrae paroeciae Torontinae S. Patritio sacrae, natus ibi 24 Sept. 1876. Post suam ad Institutum Alfonsianum vocationem eadem via, ac tres confratres praecedentes, in Provincia Baltimorensi ad religiosam professionem et ad sacerdotium pervenit. In patria fuit Rector Quebecensis 1918-1921, Magister novitiorum 1921-1930, Superior Provincialis 1930-1936, et qua talis interfuit Romae, Scalae, Paganis bis-saecularibus sollemniis (1933) et Capitulo generali (1936); tandem Rector Marianopolitanus 1936-1939. Carcinoma intestinale ei mortem attulit. Obiit Toronti in nosocomio S. Michaël 21 Sept. 1940, circumdatus suis confratribus et coniunctis. Sollemne *Requiem* cantavit cantavit Archiepiscopus et futurus Cardinalis Exm̄us MacGuigan, assistente numeroso clero et populo. Pl. R. P. Provincialis Iac. Fuller elogium funebre pronuntiavit.

Melius huius defuncti imaginem depingere non possumus quam verbis R. P. Georgii Daly. « Obitus P. Petri Costello Provinciam Torontinam orbavit uno ex suis sodalibus melioribus... In eius vita procul dubio nil magis eminent quam exemplaris eius observantia regularis. Omnes eius

confratres libenter hoc ei concedent, etiam illi qui utcumque ab eo dissentiebant. De eo dici potest: *Semper idem*.

« Multis sui superioratus annis semper suis principiis religiosi fidelis mansit, neque unquam ab eis deflexit. Speciatim notabatur constans eius per totam vitam fidelitas ad actus communes. Primum campanae signum semper eum inveniebat promptum ad obediendum, et tale Superioris exemplum erat secreta admonitio subditorum. Ultimo vitae tempore, quo erat denuo miles gregarius, confratribus item aedificationi erat sua obedientia, humilitate, caritate.

« P. Costello semper erat valde reservatus, ut dicitur, etiam cum suis amicis et consanguineis, neque unquam suas cogitationes actionesve aliquo passionis motu dirigi patiebatur. Semper se exhibebat pacatum, serenum, tranquillum; unde aliquoties existimabatur esse homo frigidus et austerus, quamquam nemo eo magis participabat aliorum, praesertim subditorum, dolores et gaudia.

« Quocumque veniebat, ibi reliquit famam viri profunde spiritualis. Huic sapienti duci multae animae sese comittebant in confessionali, ubi passim horis confessionibus excipiendis destinatis inveniri poterat...

« Esse bonum Redemptoristam et fidelem filium S. P. Alfonsi, ecce unica ambitio Patris Costello. Nemo ipso fidelius nostri Instituti usus ac traditiones tenebat. Preces, quas in novitiatu recitabat, per totam vitam recitare consueverat, et eius Psalterium Marianum signa usus cotidiani demonstrabat. Omni vespere videres eum pie Viam Crucis obire...

« Mors ad P. Costello venit die Deiparae sacro, quam semper tenere amaverat, die sabbati. Haec mors tranquilla erat corona bene meritata vitae exemplaris. Sui conscius, fere usquedem eius anima ad Dei thronum evolavit, sine intermissione orabat. Per longas infirmitatis hebdomades subridens et Dei voluntati semper unitus in suo lecto iacebat, nec unquam lamentabatur. Mortuus est oculos tenens defixos in illam pretiosam coronam, quam S. Fundator noster suis filiis fidelibus promisit, nec quisquam fidelior fuit P. Petro Costello ».